Michaël Mekelburg.

D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA
DE AFFECTU ILLO,

qui in Regiomontana hac Academiá, in Studiosos communi communis convictorii victu utentes, sæviit hactenus, eorumq; complures brevi tempore extinxit,

quam

PRÆSIDE

Viro Spectabili, Excellentissimo atq; Experientissimo,

DN. CHRISTOPHORO TINCTORIO, Phil. & Medic. D. Seren. Elect. Brandenb. in Boruss. Archiatro & in Academ. Regiom. Profess. publ. ac p. t. Decano, Fautore suo plurimum observando,

publicè ventilandam proponit

JOHANNES GEORGIUS STRASBURG, BERLINAS.

In Auditorio majore

Ad diem 28. Maj. hor. a. 7. mat.

REGIOMONTI, TYPIS JOHANNIS REUSNERI.
ANNO 1649.

14

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI &c. &c.

CONSILIARIIS SUPREMIS, INCLYTUM BORUSSIÆ DUCATUM REGENTIBUS,

VIRIS

Illustribus, Magnificis, Generosis,

Dn. JOHANNI EBERHARDO à Tettau/
Supremo Provinciæ Magistro eminentissimo,

Dn. BERNHARDO à Königseck/
Burggrabio supremo gravissimo,

Dn. CHRISTOPHORO à Troschke/
Cancellario præcellentissimo,

Dn. AHASVERO à Brandt/
Mareschallo supremo dignissimo.

Magnis Literarum Literatorumq; Patronis;

hunc suum qualemcunq; laborem,
devoti animi interpretem,

demissè offert

JOHANNES GEORGIUS STRASBURG,
BERLINAS.

CUM BONO DEO!

IS fuit præteritis hisce septimanis, & nec dum prohdolor penitus esse desiit, Academiæ nostræ status, ut ejus vel meminisse citra dolorem vix possint boni quiq;. Vernum est tempus, ex quo plurimum amœnitatis lætitiæq;, morborum verò, præterquam salubrium, nihil ferè erat expectandum, cum vel *Hippocrate* teste, *Autumno quidem morbi accidant acutissimi & funestissimi, Ver contra saluberrimum sit minimeq; funestum 3. aph. 9.* Et dolendi ac lugendi hactenus ubique sese obtulit materia, morbusq; quovis autumnali funestior, non jam in fæcem hominum, sed ipsos Musarum alumnos est grassatus, adeò ut intra trium septimanarum spatium, dierum numerum funera non jam adæquarint modo, sed & superarint. Vidimus quaterna modo, modo quina simul elata, non sine dolore, vix sine lacrymis. Quodsi *sapienti* (addo, sapientiæ studioso) *nihil licet dimittere sine solicitudine, Averr. 12. Met. c. 52.* quis non videt, hanc rem, Academiæ huic prorsus inauditam, vel minimè sine sollicitudine dimittendam, quin potius cuiq; pro ingenii modulo paulo accuratiùs esse pensitandam, inq; ejus causam eâ quâ fieri potest sedulitate inquirendum? Quod ipsum mei quoq; officii esse ratus de affectu illo ita in bonarum artium Studiosos desæviente, quædam in chartam conjicere, eaq; cum doctis communicare, publicæq; disquisitioni subiicere volui, id agens, ut in morbi speciem primùm, post in ejusdem causam inquiram, præmissoq; prognostico de curatione quoque nonnulla subjungam.

Mensis fere elapsus est, ex quo prima sens mu ejus I.

 mali

mali initia, intra tridui ſpatium vel 40. ſtudioſis lecto affixis. Senſere illi initio quidem ἀνωμαλίαν quandam, atq. ut Cl. Hofman. loqui amat, δυσαρέστειαν, comitante eandem ſpontaneâ quadam laſſitudine: ſecutus calor intenſus, idemque continuus, per univerſum corpus diffuſus, cum ſiti, linguaq; torridâ: Urina coloratior paulo fuit, & in plerisq; cruda. Pulſus inter prima ſtatim initia debilis, frequens, celer, inæqualis. Capitis etiam dolor cum pectoris anguſtiâ nonnullos infeſtavit: Vigiliæ omnibus ferè pertinaces, quibus paulò poſt delirium ſupervenit continuum, & ad mortem usq; ferè perſeverans. Quibusdam & maculæ in initio ſtatim eruperunt rubræ, nihil tamen Naturam ſublevantes: in aliis etiam demortuis jam lividæ apparuerunt. Sæviit malum, atque utinam deſævierit jam! in eos tantùm, qui eodem in communi convictorio uſi ſunt victu, eosq; non præſentes tantùm, ſed & abſentes, absq; contagii tamen ſuſpicione. Vis mali tanta fuit, ut omnem fermè eluſerit medicamentorum efficaciam, plerisq; fato functis, paucis ſpem nobis facientibus priſtinæ recuperandæ ſanitatis.

II. Hæc morbi eſt hiſtoria, ex quâ de ejusdem ſpecie judicare, non adeò erit difficile. Febrim ſanè calor ille intenſus per univerſum corpus diffuſus ſatis ſuperq; demonſtrat; Sequuntur ſitis, linguæ ariditas, frequensq; ac celer pulſus, omnia præſentis febris indicia longè certiſſima. Inter alias autem, quarum plurimæ dantur, febris ſpecies, ad *Synochum putridam malignam* febrem hanc referendam eſſe cenſeo. *Synochum* eſſe patet, quia ita eſt continua, ut nullas per certa intervalla, vel exacerbationes habeat vel remiſſiones, ſed aſſiduè affligat, & unâ acceſſione ad finem usq; contineatur. Id enim hujus febri

bris esse τεκμήριον præter *Gal. 1. Epid. 3. t. 2. & 2. de crif. c. 6.* statuunt *Fernel. de febr. c. 4. Liddel. de febr. l. 1. c. 9. Petræus Nosol. differt. 50. p. 448. Jul. Caf. Claudin. Respons. med. 1. p. 30.* qua ratione differt à continuis, quas συνεχεῖς vocant, utpote quæ, quantumvis in quietem febre vacantem (ἀπυρεξίαν vocant) antequam omnino solvantur, non desinant, aliquam tamen stato tempore declinationem admittunt. *Gal. 2. de crif. c. 6.*

Ad *putridam* autem Synochum, non eam, quæ putredine caret, referendam hanc febrem esse puto, ob manifesta quæ hic conspicienda sese præbent putredinis indicia. Calor enim est intensior & acrior, urinæ crudæ, pulsus inæquales: quæ sanè putredinis sunt soboles, adeoq; in Synocho absq; putredine neutiquam conspiciuntur: utpote in quibus & blandior longè calor est, & urinæ minus sunt crudæ pulsusq; æquales. *Vid. Ferdinand, Mena de febr. c. 22. Pulverin de cur. febr. c. 10. Thom. Grofs de febr. p. 119. Senn. de febr. l. 2. c. 7. & l. 3. c. 3.* quod ipsum & sanguis confirmavit venæsectione extractus: visus enim, qui refrigeratus minimè induruit aut concrevit, quod direptarum atque corruptarum fibrarum, atque extremæ adeò putredinis esse indicium, cum aliis censet *Fernel. Meth. med. l. 2. c. 17.* III.

Utrum autem *sanguinea* fuerit hæc Synochus, an vero *biliosa*, non definio, cum pro varietate constitutionum, ipsa quoque variasse quodammodo videatur. Cæterum *malignam* fuisse, indicio est manifesto insignis illa Symptomatum vehementia. Vires enim circa initia statim fuerunt prostratæ, cum pulsu debili & inæquali, pectorisq; quadam angustiâ. Vigiliæ fuere pertinaces, subsequente delirio continuo, & ferè ad mortem usq; perseverante: tantaq; fuit mali vis, ut omnem ferè IV.

præſentiſſimorum aliàs remediorum eluſerit efficaciam. Quæ omnia præter naturam & conditionem Synochi putris benignæ eſſe, ad ſenſum cuivis patet. Ut taceam maculas in plerisq; viventibus etiamnum, in aliis poſt mortem apparentes, quæ & ipſæ malignum quid & latens venenum detegunt: *Plater. Pr. tom. 2. c. 2. Ferdin. Mena de febr. c. 53.* & infidum de morbo judicium, factâ interdum ſalutis ſpe, paulo poſt tamen omnibus in pejus ruentibus, indq; ægri perniciem conſpirantibus. Quæ quidem malignorum morborum eſt indoles, ut non ſecus ac mali homines (λαθροδήκται appellant Græci) aliud ſæpè vultu ſimulant, corde aliud occultant factisq; præſtant: ita ipſi quoq; non raro benignitatem mentientes, Medicis non minùs quam ægris nihil tale opinantibus imponant, & quos evaſuros ſpes erat, ut videbatur, certa, ſubitò veluti ex inſidiis invadant atq; jugulent.

V. Malignam itaq; eſſe hanc febrem ex allatis patet. Utrum vero *Ungaricus* dictus ſit *morbus*, paucis nunc diſpiciendum. Et omnino dubium non eſt, quin quædam inter febrem hanc & morbum Ungaricum ſit conformitas atq; convenientia, cum ratione caloris acrioris, & ſitis linguæq; torridæ; tum ratione delirii & conjunctæ malignitatis: quo minus tamen in eam propendeam ſententiam, obſtant Symptomata non nulla, quæ cum à Morbo Ungarico inſeparabilia eſſe videantur, in hac febre vel neutiquam vel rarò ſunt deprehenſa. Capitis utiq; dolor, quin Ungaricæ febris individuus ſit comes, nemo facilè dubitabit, qui noverit, ab inſigni, quem ſecum fert, capitis dolore, morbum hunc apud Germanos nomen traxiſſe ſuum, & das Hauptwehe/ oder die Haupt Kranckheit appellatum. Faucium pariter quædam inflammatio vix unquam à morbo hoc abeſſe ſolet, unde

alio

alio etiam nomine, à nigricante linguæ ac faucium colore Germanis **die Bräune** appellari consuevit. Scribit etjam *Jordan. de pest. Phænomenis Tr. 1. c. 19. refer. Schenck l. 6, obs. med.* Ungarico morbo laborantes manu admota ostendisse regionem sub sterno, ad cartilaginem ξυφοειδῆ, ibiq; omnibus ἀντίτυπον quoddam, renitentiam sc. & duritiem observatam, ita, ut si summis tantum digitis locus ille fuerit compressus, etiam ejulatu edito, dolorem vehementem fuerint testati: Cujus Symptomatis etiam ex *Tob. Cober.* meminit *Sennert. l. 4. de febr c. 14.* Quæ tamen omnia Symptomata in nostrâ hac febre vel neutiquam, vel raro, nunquam certè conjuncta fuerunt deprehensa. Capitis equidem dolor nonnullos exercuit, non tamen omnibus fuit communis. Faucium etiam qualiscunq; inflammatio à plerisq;, si non omnibus, abfuit, de linguæ quidem asperitate quadam & siccitate conquerentibus, deglutitione a. vix ullâ ratione læsâ. De dolore autem sub sterno, nemo quod sciam est conquestus, præterquam unus, cui tamen aliàs etiam similes ferme dolores non fuerunt infrequentes. Obstat & contagium, cujus nulla hactenus in malo nostro suspicio, cum idem à febre Ungaricâ nunquam abesse, experientia satis superq; testetur. Morbi itaq; Ungarici nomen nostro affectui neutiquam convenire, patet.

Sed nec ad *rabiem* referendum esse hunc nostrum affectum, vel inde liquido constat, quod delirium in hoc quidem blandum prorsus fuit, minimeq; ut in rabie θρασὺ ἢ θηριῶδες. Notum etiam est, rabiei symptoma esse inseparabile ὑδροφοβίαν, sive aquæ metum, usq; eò, ut non solum ab aquæ & cujuscunque liquoris assumptione prorsus abhorreant, sed nec aspectum ejus, imo ne sonitum quidem aut nomen ferre possint: quale VI.

quid

quid in noſtrâ febre neutiquam fuit obſervatum, certo indicio, alium prorſus à rabie fuiſſe affectum.

VII. Itaque ut hæc concludam, affectum illum noſtrum *Synochum putridam malignam* eſſe ſimpliciter ſtatuo, quæ prout in aliis quidem maculæ eruperunt, in aliis vero nullæ apparuerunt, ita febris vel *malignæ* ſimpliciter, vel *petechialis* etiam, appellationem ſibi vendicare poteſt.

VIII. Proximum jam eſt, ut in *cauſas* ejus quoq; inquiram. Effectum teſtari de ſuà causâ tritum eſt philoſophorum axioma. Itaq; cum malignum hic habeamus affectum, malignam etiam ejus eſſe cauſam, facile cuivis patet. Ac propterea *in craſſiore victu, generatisq; inde tartareis humoribus, factaq; adeò venarum meſaraicarum obſtructione*, & ſimilibus cauſis, neutiquam hic eſt acquieſcendum cum illæ omnes putredini quidem occaſionem præbere, malignum autem affectum per ſe producere, nullâ ratione poſſint. Quod ut ratio manifeſtè evincit, ita experientia non minus comprobat. Etenim quantumvis æquè craſſo, fortè etiam craſſiore victu, in communi convictorio, tot retro annis, Studioſi fuerint uſi, non ſine ſuſpicione natarum inde obſtructionum: ſimilem tamen in eos affectum unquam fuiſſe graſſatum, non eſt compertum: Sed ad *occultum aliquid, malignum ac venenatum, cordiq; peculiariter infeſtum*, eſt confugiendum, indeq; hujus mali cauſa derivanda. Hic enim omnino eſt omnis mali fons, unde & ipſa febris & omnia reliqua fluunt Symptomata.

IX. Recepta enim intra venas maligna qualiscunq; materia, ſanguineam protinus cœpit inquinare maſſam, ad putredinemq; diſponere: hinc terri undequaque ſeſe diffundere cœperunt vapores, atq; inde ἀνωμαλία illa & δυσαρέστεια. Putreſcens poſtea ſanguinis maſſa putrido-

rum

rum malignorumq; vaporum copiam Cordi communicavit, à quo postea iidem per venas & arterias, unà cum sanguine & Spiritu ad universum Corpus sunt transmissi, unde *intensus ille calor per universum corpus diffusus.* Et quia in majoribus vasis putridus ille hæsit humor, hinc factum, ut molesto vapore cor continuo ferierit, *febrisq;* facta fuerit *continua*, quæ aliàs intermittens fuisset futura, si in vasis mesaraicis saltem, idem ille humor stabulatus fuisset. Calorem sequuta *sitis nimia, linguaq; torrida*, absumptâ a calidis vaporibus humiditate, linguaq; ac faucibus exsiccatis, ac veluti adustis. Ex iisdem calidis malignisq; vaporibus & *dolor capitis* in quibusdam est ortus, affectis cerebri membranis, continuique quandam solutionem passis: ortæ sunt & *vigiliæ*, ob nimiam agitationem, quiete spiritibus denegata: quas postea *delirium*, cerebro & Spiritibus nimium calefactis, atq; his turbatis & inordinatè motis, non potuit non excipere. Et quia venena pleraq; cordis potissimum oppugnant robur, hinc factum ut hostili vehementiâ oppressum illud, suo & arteriarum motui non undequaq; suffecerit: unde pulsus cum *debilis*, tum *inæqualis*: qui tamẽ *celer & frequens* fuit ob usum auctum, conante naturâ debilitatem celeritate & frequentiâ compensare. *Pectoris etiam angustia plerosq; infestavit*, morbificâ causâ pulmonibus quoq;, ob viciniam potissimum, & vasorum communionem, aliquâ ex parte communicatâ. Et quamvis Natura, tantâ mole obruta, exonerare se quodammodo, partemq; ad corporis ambitum protrudere fuerit conata, unde *in quibusdam maculæ*: Major tamen fuit malignitatis vis, quàm ut vel propriis viribus, vel medicamentis etiam adjuta Natura, opus hoc potuerit perficere: Unde *maculæ illæ nihil naturam sublevarunt*, quin omnium etiã

medicamentorum vim eludens mali pertinacia, finem vivendi plerisq; attulit.

X. Illud verò vel maximè conſideratione dignum, ***unde malignum illud, quod omnis mali dixi eſſe autorem, ſuam traxerit originem.*** Gemina hic ſeſe offert ratio; Aut enim in ipſis corporibus erit generatum, aut aliunde communicatum. Generari ſanè in corpore humano poſſe venenum, cum Galeno docent quamplurimi, atq; inter eos *Sennert.* etiam *Inſtit. l. 2. p. 2. c. 12.* Idem tamen cum aliis quibusdam in dubium vocat *Mercurial. l. 1. de venen. c. 14.* Ego hac de re jam non diſputo: Sed poſito, humores corporis noſtri ita quandoq; corrumpi poſſe, ut veneni naturam induant, in noſtro tamen caſu tale quid contigiſſe neutiquam potuit. In tot enim & tam diverſæ conſtitutionis hominibus, quibusdam etiam ἐυεξίᾳ quadam præditis, absq; ullâ abundantium pravorum humorum ſuſpicione, uno eodemq; tempore venenum potuiſſe generari, omni omnino caret probabilitate. Accedit quod Studioſi tantum, iiq;, communi victu utentes, id mali ſunt paſſi: Cum ſi in corpore adeo facilè venenum potuiſſet generari, reliquorum etiam non Studioſorum modo, ſed & civium nonnulli, eandem procul dubio fortunam fuiſſent experturi. *Aliunde* itaq; hoc malignum communicatum ſtatuere erit neceſſe.

XI. Cum vero quatuor tantum modis Venenum aliquod homini communicari poſſit, vel 1. ob aëris cœliq; pravam conſtitutionem, vel 2. propter contagium, vel 3. a venenis extrà corpori admotis, vel 4. ab iisdem intra corpus aſſumptis: *quonam ex dictis modo, hoc venenum fuerit communicatum* porrò inquirendum. *Aëris* vitio malignum quid corpori noſtro communicari facilè poſſe,

dum

dum quocunq; modo infectus, respiratione attrahitur, certius est, quam ut probatione indigeat. Occultas etiam Syderum esse influentias, atq; ex vario illorum influxu, salubriora tempora modo, modo morbosas constitutiones sperari posse, Astrologis ultro largior. Hic tamen universalem ejusmodi causam neutiquam locum habere posse, vel illud docet, quod non promiscuè in hujus civitatis incolas, sed in Studiosos tantùm communi victu utentes, malum sævit: ac propterea effectus hic qui particularis est, aliam omnino ab universali ejusmodi causâ, particularem scilicet & determinatam, requirit. *Contagii* etiam quanta sit vis nemini non est manifestum: Hic tamen nulla prorsus & ne minima quidem ejus est suspicio, cum omnes eodem ferê tempore malum senserint, nec in quenquam postea, de quo quidem constet, contagio idem fuerit derivatum.

Extrinsecus quoq; applicata venena vim corpus inficiendi obtinere certum est, & unguenta venenata vel sellarum pediferis, vel æquorum sellis habenisve illita, corpus penetrandi corrumpendiq; vim habere, scribit *Laurent Joubert de. 2. parad. 10.* Cujus rei historias recensent *Nicol. Florent. sum 4. tr. 4. c. 5. Guainer. de venen. c. 1. & 2. Mathiol. in præfat. in Diosc l. 6. Grevin. l. 6. de ven. Jonston. in Admirand. hom. c. 6. artic. 4.* Nec minorem in inducendis malignis morbis *ictûs quoq; & morsûs venenatorum animalium* vim esse atq; efficaciam, canis rabidi viperæq; morsus haud dubie fidem facit. Verum nec ejusmodi extrinsecus applicatorum venenorum ulla hic est suspicio, & morsus aut ictus venenatorum animalium non facilè nos latere possunt. Unde in hanc tandem cogor abire sententiam, *maligni aliquid & venenati cum cibo*

vel potu intra corpus fuisse assumptum. Confirmat sententiam, quod in eos tantum malum sæviit, qui eodem in communi convictorio usi sunt victu, ita quidem, ut nec hospiti cuidam, quin nec iis qui aërem postea mutârunt, pepercerit; Sed eorum etiam alios quidem extinxerit, alios verò graviter afflictos, lecto etiamnum affixos teneat: certissimo communicati per communem victum veneni indicio.

XII. *Quale vero venenum illud fuerit*, nondum liquet; Ut nec de eo satis constat, *quo tempore* fortè fuerit assumptum. Quamvis enim in eam magis propendeam sententiam, non ita multô antè, quam mali sensere vim, assumptum illud fuisse: Nihil tamen prohibet, quominus ante septimanas aliquot haustum, latere aliquandiu & nunc demum vires suas exerere potuerit; accedente præsertim subitâ illa aëris ex frigido in calidiorem paulo, mutatione. Ita enim venenum in corpore latitare posse, ut post aliquot demum non menses modo, sed & annos sese prodat, canis rabidi venenum abunde testatur: Utpote cujus vim post 17. 18. imò 40. etiam annum, demorsos demum fuisse expertos, inq; rabiem inde actos præter *Alzaharav.* quem citat. *Senn. Pr. l. 1. p. 2. c. 15.* referunt *Brassav. l. 2. aph. com. 23. Guainer in Tr. de ven. Abel Rosc. in Ep. ad Gu. Fabr. Hild. addit. cent. 1. obs. 86.* Dies tamen, ut solet ferè omnia; ita hæc quoque aliquando docebit.

XIII. Circa prognostica non est quod sim prolixior, cum quid sperandum hic sit, eventus proh dolor! & crebra hactenus funera, satis superq; fuerint testata. Quam obrem ad ipsam mali curationem me convertam, si tamen unum prius monuero; quantumvis malum hoc nullam

hacte-

hactenus contagij nobis præbuerit suspicionem; si tamen, (quod clementer avertat Deus!) porro sævire perrexerit, verendum omnino esse, ne exaltatum temporis morâ venenum, contagiosam tandem faciat luem. Si enim per unguenta venenata pestem aliquando fuisse excitatam historiæ narrant, referente Senn. *Instit. l. 2. p. 2. c. 12.* quid de hoc nostro malo sit sperandum facile patet.

Ipsam vero curationem quod attinet, non jam id agam, ut integram hic curationem subjungam: sed omissis illis, quæ satis plana esse videntur, dubia saltem nonnulla proponam, quorum primum erit, XIV.

Num vomitoria hic fuerint exhibenda?

Ubi venenum ore est assumptum, vomitum confestim esse concitandum, non sine ratione monent Practici ad unum omnes: a veneno enim mox rejecto parum omnino periculi ei qui assumpserat, imminere potest. Quia itaq; in nostro etiam casu venenum aliquod ore assumptum dixi, ex vomitu multum omnino auxilii aliquis speraverit. Et sanè si mox ab assumpto illo qualicunq; veneno, dum in ventriculo adhuc hæsit, vomitus fuisset concitatus, dubium non est, quin multum inde utilitatis in eos qui assumpserant, fuisset redundaturum. Verùm quia assumpti veneni, initio, & prius, quam illud vires suas exeruerit, nulla prorsus fuit suspicio, imò nec mox, ubi vim mali sensere ægri, sed ferè tercio demum, aut quarto post die, Medici fuerunt advocati; in primo statim initio intermissus vomitus, postea, nisi naturam peculiariter eò vergere fuerit animadversum, convenire non potuit. Ut enim in initio, ubi in ventriculo adhuc dum hæret venenum, vomitus mirè

confert: Ita ubi relicto eo ad inteſtina jam non modo, ſed in ipſas etiam penetravit venas, quin inutilis ille ſit, imò noxiùs, non eſt dubium. Ex venis enim majoribus ùt medicamenti vi ad ventriculum denuo trahatur venenum, fieri vix poteſt. Quin imò ex nimiâ illa corporis commotione, humorumq; agitatione, corpore magis debilitato, majus etiam periculum eſt metuendum. In noſtro itaq; caſu, cum venenum, ubi primum conſulti fuere Medici, non in ventriculo ampliùs hæſerit, quod ex temporis morâ & ſymptomatum quæ veneni in ventriculo præſentiam arguunt, qualia ſunt nauſea, dolor & morſus ventriculi, teterq; ſapor & odor, abſentiâ, manifeſtum fuit, à vomitu etiam parum auxilii ſibi quisque promittere potuit.

2. *An purgantia in principio potuerint uſurpari.*

Duplicia eſſe purgantia, alia fortiora quidem & δραστικὰ, alia vero mitiora, quæ propterea ad lenientia à quibusdam referuntur, eſt notiſſimum. Et utraque hæc quod attinet, certum eſt, venenum intra venas jam receptum & ſanguini permixtum (ſi enim in inteſtinis adhuc dum moretur, aut primis viis, alia res eſt) purgantibus medicamentis tolli nequaquam poſſe, niſi cum excrementitiis humoribus ſanguinem univerſum educere, atque adeo unà cum morbificâ cauſa ipſam ſimul vitam tollere voluerimus. In ſpecie vero δραστικὰ illa neutiquam potuerunt convenire, nec ratione putredinis, nec ratione conjunctæ malignitatis. Malignitatem enim purgantibus tolli non poſſe, jam dixi. Putres etiam humores à naturâ nondum elaboratos aut concoctos, medicamentis purgantibus non eſſe tentandos, vel

ex

ex illo Hippocratis oraculo, 1. aph. 22, quo *Concocta medicari non cruda, neque in initio*, jubet, abunde patet. Cujus quidem aphorismi rationibus adducendis, brevitatis studio supersedeo. *Vid. Senn. Instit. l. 5. p. 2. s. 1. c. 6.* Imo quia validiora illa purgantia vires mirum quantum prosternunt, vel hoc nomine ab eorum usu fuit abstinendum, ne debilis alioquin Natura, medicamentorum vi magis etiam defatigata, citiùs succumberet. Ut taceam, calidiora esse illa omnia, ac propterea calorem adhuc acriorem reddendo, nocere ægrotantibus potuisse. Benigniora vero & lenientia adhibere, cum in plerisque alvus suo defuerit officio, non utile modo fuisse puto, sed & necessarium: & vel eo nomine, ut reliqua præsidia, Venæsectio præsertim & sudorifera, commodiùs potuerint adhiberi; quæ sanè parùm tutò, nisi alvo laxatâ, administrari potuissent. Atque hac ratione non clysteres modo rectè fuerunt infusi, sed & lenientia per os exhiberi commode potuerunt: quibus quidem agarici imprimis aliquid addi potuit, ob vim quam obtinet alexipharmacam, teste *Gal. l. 6. Simp. Plin. l. 16. c. 8.*

alexipharmaca similiter sunt calida

3. *Num venæsectioni etiam fuerit locus?*

Quod de purgatione dixi, id de Venæsectione non minùs affirmari potest: scilicet nec ejus beneficio venenum sanguini jam permixtum educi ullâ ratione posse, nisi vitam unâ cum sanguine universo effundere animus fuerit. Ratione febris tamen in plethoricis quibusdam, & primis statim diebus, venæ sectio potuit convenire, ut ita Natura parte oneris levata reliquum eo facilius vinceret *Gal. 11. M. M. c. 5.* Verumtamen cautè omnino & parcè mit-

mittendus fuit ſanguis. Quamvis enim in ardentiſſimis febribus nullum ſe præſtantius noviſſe remedium quam venæ ſectionem ad animi deliquium, ſcribat Gal. 1. *aph.* 23. ſeq; hac ratione ſynochũ febrem adeo ſubito curaſſe, ut jugulaſſe eam fuerit viſus, glorietur, *9. M. M. c. 4.* In noſtro tamen caſu, quia propter malignitatem virium maximè fuit habenda ratio, à larga ejuſmodi ſanguinis miſſione prorſus fuit abſtinendum, ne ſubtracto Naturæ robore, citiùs illa hoſti validiſſimo victas daret manus. Quo nomine primis etiam diebus, viribus adhuc utcunque conſtantibus, eam adminiſtrandam, triduo autem, aut ad ſummum quatriduo elapſo, omittendam fuiſſe cenſeo.

4. *Num maculæ in principio erumpentes Venæſectionem potuerint prohibere.*

Dixi Naturam cauſæ morbificæ mole obrutam, partem ad corporis ambitum propellere eſſe conatam, atque hinc in principio ſtatim morbi maculas quaſdam ſeu petechias in quibuſdam erupiſſe. Num vero hæ, præſentibus indicantibus, viribus etiam permittentibus, Venæſectionem prohibere potuerint, dubium eſt. Præprimis quod hic naturæ motus minime videatur fuiſſe turbandus, nec ad ambitum corporis tranſmiſſi humores, ad interiora revocandi. Verùm diſtinguendi meritò Naturæ motus: Alii enim ſunt verè critici, perfectè movente Naturâ: alii verò Symptomatici. In illis ne quid novemus aut moveamus *Hippocrates* prohibet *1. aph. 20.* Ubi jubet *quæ judicantur & judicata ſunt perfecte, non movenda neque novanda, neque medicamentis purgantibus neque aliis irritamentis, ſed miſſa facienda.* Sympto-

ptomatici verò motus, cum morbificæ causæ vehementiam sequantur, tantum abest, ut necessariorum aliàs auxiliorum administrationem prohibeant, ut potiùs eandem maturandam esse, nos monere videantur. Cum itaque hæ quoque maculæ non criticæ fuerint, sed Symptomaticæ, id quod inde fuit manifestum, quod & in principio apparuerunt, & naturam nihil prorsus sublevarunt, Venæsectionem præsentibus reliquis indicantibus neutiquam prohibere potuerunt. Neque periculum fuit, ne ad ambitum jam propulsi humores denuo ad interiora regrederentur: Ex parcâ enim sanguinis missione tantum abest, ut à circumferentiâ ad centrum ducantur humores, ut contrarium potius fieri pluribus probet *Joh. Baptist. Sylvat. Controv. 37.* Unde in simili casu Venæsectionem cum aliis etiam concedit *Sennert Instit. l. 5. p. 2. s. 1. c. 17. & Erast. Epist. med. 25.*

5. *An ex venarum sub linguâ sectione certa fuerit speranda salus?*

Id equidem multorum, ipsius etiam vulgi est judicium. Audias enim complures harum venarum sectionem mirè commendantes, tantumque commodi inde sperantes, ut hoc solo ferè auxilio luem hanc potuisse debellari certo sibi persuadeant.

Verum miserè falluntur, quotquot ita statuunt. Quamvis enim ratione quorundam Symptomatum, præsertim doloris capitis & delirii, convenire potuisse, non sit negandum, cum hac ratione etiam quibusdam non sine commodo fuerit administrata: Morbum tamen, in quo malignitas potissimum ursit, tollere haud quaquam potuit, utpote quam nec purgatione nec venæ-

ſectione curari poſſe, dixi ſupra. Itaque quantumvis in morbi hujus curatione, & medicamentis lenientibus, & Venæſectioni, cum in brachio, tùm ſub linguâ, ſuus tribuendus fuerit locus: Ob venenum tamen ſanguineæ maſſæ jam commixtum, ſudoriferis potiſſimùm atque alexipharmacis luem hanc oppugnandam fuiſſe, eſt manifeſtum.

Atque hic pedem figo, Deumque T. O. M. ut benigniora impoſterum Fata Academiæ noſtræ benignè concedat, ſupplex oro.

IPSI SIT LAUS, HONOR ET GLORIA!

COROLLARIA.

1. An probabile ſit, â flatibus, culpâ ἐμφράξεως in meſenterio generatis, Studioſos fuiſſe ſuffocatos? N.

2. An ex cadaveris ſectione certa ſemper poſſint peti aſſumpti veneni indicia? N.

3. An Venena ita præparari poſſint, ut certo & definito tempore hominem interimant? N.

JOHANNES GEORGIUS STRASBURGIUS

Κατ' ἀναγραμματισμὸν μεταστοιχείωσιν.

SURGE NISU, HONOS AB ÆGRIS SURGIT.

ἐξήγησις.

Nec SURGE NISU diſpari, quùm tertium
Scandas cathedram, proditum Doctis tuos,
Strasburge, fœtus, erutumq; peſſimi
Fontem mali, cauſasq;, cujus impetu
Immane quantum! læſa tempe Pallados.
Non namq; ſolos interemit puberum,
Queis nixa certè plurium ſpes eſt, choros;
Sed & Viros, quos eruditioribus
Accenſuiſſe jure virtutes ſuas
Conſtabat, atq; quos juventæ debitum
Juvabat addidiſſe calcar floridæ,
Facemq; prælucere multis artium
Claram: *Bröſelium* puta, *Bazelium*,
Queis jure *Schönbergerus* additur, parem
Quem fortè Demodoco canoro dixerim,
Cuî contigiſſe fertur à Muſâ bonum
Malumq;: ſic noſter tametſi luminum
Orbatus uſu, fretus attamen ſuæ
Fulgente mentis luce metam præditis
Viſu ſtatam tranſcendit. Hinc quivis dolet
Illos peremptos eſſe. Tu quum diſcutis,

Stras-

Strasburge, causas squalidæ luis, Tibi
HONOS AB ÆGRIS SURGIT amplus, qui sibi
Hinc sanitatem pollicentur integram,
Nec præmium laboribus deerit suum
Tuis, diu quod debitum, sed protinus
Iri sequutum Præsidis medentium
Nutu, boni præsaga mens spe nititur.

Hisce Eximio Dn. Strasburgio Medic. Candidat. quùm de malo illo, quod in Studiosos necdum omninò desæviit, disputaret, acclamabam

HEINRICUS BUSSENIUS,
Soltquellâ Palæo-March. Phil. &
S.S. Theol. Studiosus.